

Dispositio axiomatica quorundam terminorum modò recitatorum sic habet:

Deus creavit mundum.

Deus conservat Ecclesiam.

Peccatum destruit imaginem Dei.

Sal præservat carnes à putredine.

II. Usus demonstrationis.

1. *E loco causâ procreantis & conservantis amplissima surgit messis & materia in laudando, vituperando, consolando & hortando: ut, Salomon condidit hoc templum. E. est opus exquisitum. Majores ipsius fuerunt viri optimi. E. illi benefaciendum est. David ambulans per vallem umbræ mortis non timebit; quoniam Jehova est cum ipso. Crux patienter ferenda; quia est à Deo. Peccatum est fugiendum; quia est à Diabolo.*

2. *A causâ principali & solitariâ laudes & vituperationes ducuntur insignes: ut, Uſus magni est faciendus; quia facit artifices. Papa fruſtra ſibi ſumit potestatem remittendi peccata; quia ſolus Deus remittit peccata. Facit etiam ad excusandum: ut, Euryalus eſt extra culpam cædis Sulmonis & Tagi; quia ſolus Nifus perpetravit.*

3. *Instrumentis necessariis remotis removetur effectum; ut, Pifces non habent pulmones. Ergò nec respirant. Rex ille non habet nervum belli, pecuniam. Ergò nec geret bellum.*

4. *Causa naturalis permagnus eſt uſus in physicis: ut, Ignis eſt. Ergò urit. Hæmatites corpori eſt admotus. Ergò ſiſtet ſanguinem. Lepra latius non ſerpet; quia aurum potum prohibet.*

5. *A causâ volūtariâ ſumuntur laudes & vituperia perſonarum, quando animus honesta vel in honesta conatus eſt, licet effecta non dederit: ut, Catilina eſt nequam; quia animus ipſi fuit Romam funditus evertere. Eſt author cædis; quia homicidam instigavit.*

6. *Causa neceſſitate impulſa agens facit ad hortandum & excusandum: ut, Diutius his locis commorari non possumus, & fortiter pugnandum eſt; quia frumenti aliarumque rerum egeſtas prohibet, & quocunque ire placet, ferro*